

ETA SIGMA PHI 62nd Annual Latin Translation Contest (2013)

Advanced Latin

To be written as an examination, under supervision, within a maximum of two hours. No lexicon or other help is permitted. Please write in ink on every other line of the paper provided. The only identification on the contest papers should be your pen name.

Seneca Discusses Why Travel is not a Cure for Discontent

Hoc tibi soli putas accidisse et admiraris quasi rem novam, quod peregrinatione tam longa et tot locorum varietatibus non discussisti tristitiam gravitatemque mentis? Animum debes mutare, non caelum. Licet vastum traieceris mare, sequentur te, quocumque perveneris, vitia. Hoc idem querenti cuidam Socrates ait: "Quid miraris nihil tibi peregrinationes prodesse, cum te circumferas? Premit te eadem causa, quae expulit." Quid terrarum iuvare novitas potest? Quid cognitio urbium aut locorum? In inritum cedit ista iactatio. Quaeris quare te fuga ista non adiuvet? Tecum fugis. Onus animi deponendum est; non ante tibi ullus placebit locus... At cum istud exemeris malum, omnis mutatio loci iucunda fiet; in ultimas expellaris terras licebit, in quolibet barbariae angulo conloceris, hospitalis tibi illa qualiscumque sedes erit. Magis quis veneris quam quo, interest, et ideo nulli loco addicere debemus animum. Cum hac persuasionem vivendum est: "Non sum uni angulo natus, patria mea totus hic mundus est." Quod si liqueret tibi, non admirareris nil adiuvari te regionum varietatibus, in quas subinde priorum taedio migras... Dissentio ab his, qui in fluctus medios eunt et tumultuosam probantes vitam cotidie cum difficultatibus rerum magno animo conluctantur. Sapiens feret ista, non eliget, et malet in pace esse quam in pugna. Non multum prodest vitia sua proiecisce, si cum alienis rixandum est. "Triginta," inquis, "tyranni Socraten circumsteterunt nec potuerunt animum eius infringere." Quid interest, quot domini sint? Servitus una est. Hanc qui contempsit, in quantalibet turba dominantium liber est.

Notes

- line 1 *peregrinatio*: traveling, sojourning in a foreign country
- line 2 *discutio*: to shatter, break down, disperse
- line 3 *traicio*: to traverse, cross
- line 4 *prosum, prodesse*: to be useful, advantageous to
- line 6 *In inritum cedere*: to be useless, to be in vain
iactatio: moving, tossing about, bustle
- line 9 *angulus*: corner, extremity or corner of a country
- line 10 *interest* (impersonal): it is of importance, it matters
addico: to promise, to give over (something as a pledge)
- line 11 *liqueo*: to be clear
- line 12 *subinde*: repeatedly, continually
- line 14 *conluctor*: to wrestle, struggle, contend with
- line 15 *rixor*: to quarrel, brawl